



155

45

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS,
DE
MATERIA,
EJUSQUE AFFECTIONIBUS
MOTU, ET QUIETE;

QUAM,
BONO CUM DEO,
Ex Autoritate Magnifici D. Rectoris,
D. ADOLFI VORSTII, Med. Doct.
Ejusdemque Facultatis, & Botanices in Illustri Acad.
Lugd. Batav. Professoris clarissimi ac primarii;

NEC NON
Amplissimi Senatus Academici Consensu,
UT ET
Celeberrime Facultatis Philosophica decreto,
PRO
GRADU DOCTORATUS
Summisque in PHILOSOPHIA honoribus, & privilegiis consequendis,

Publicè habebit
LUDOVICUS MEYER, Amstelædam.

Ad diem XIX. Martii, loco horisque solitis.



LUGD. BATAV.
Ex Officinâ FRANCISCI HACKII.

clolclx.

OMNIBUS
SINGULISQUE
VERITATIS,
SUIQUE
VERE ET EX ANIMO
AMANTIBUS
EXERCITIUM
HOC
PHILOSOPHICUM
SACRUM ESSE JUBET
LUDOVICUS MEYER,
AUTH. ET RESP.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

INAUGURALIS,

DE

Materiâ, ejusque Affectionibus Motu,
& Quiete.

T H E S I S I.

VEra legitimaque, nostro quidem arbitrato, Essentias Rerum, prout à Modis distinguuntur, indagandi Methodus est: si, quicquid alicui attribui potest, mente percurramus removendo, donec offendamus tale quid, quo dato demptoque datur, demiturque Res, quodque reliquorum omnium attributorum fundamentum est, & basis. Quocirca, si hac cum Materiâ procedamus viâ, omnium, passim à Philosophis illi adscribi solitorum, nihil præter solam in longum, latum, & profundum Extensionem istius esse notâ reperiemus. Unde jure merito nobis *Materia est Res undiquaque extensa.*

II. Talem verò reverâ rem in rerum existere naturâ, quamvis quisque sibi fortasse satis superque persuadeat, ut tamen, quemadmodum nihil, nisi inconcussis, negarique nesciis comprobatur rationibus, admittere volentes decet, demonstretur: Nobis, quoniam omnis rite procedens præconcessis innitatur demonstratio, I. Præsupponendum, tanquam in Metaphysicis ostensum, præter nos ipsos res nempe cogitantes & intelligentes 1. esse Ens perfectissimum seu Deum, & 2. quicquid clare & distincte percipimus esse verum. II. Concedenda hæc Axiomata, 1. Quicquid aliquo non agente perficitur, ejus id causa dici nequit. 2. Nihil est in effectu, quod non fuit in causa. 3. Nihili nulla est affectio. 4. Nihil naturaliter interit, aut de novo oritur. 5. Nulla causa agit supra vires. III. Petendum, 1. Quicquid est præter Deum, sui agnoscere causam, & 2. nos clare & distincte Rem Extensam percipere.

III. Quoniam igitur intellectus noster (per 2. petitionem), clare distincteque rem extensam extra se percipit; istius perceptionis dabitur (per 1. petitionem) necessario causa: hæc vero aut est intellectus noster ipse, aut Deus, aut alia præter hos quædam existens res. Atqui non est intellectus noster (per 1. Axiom.) cum in hoc negotio non agat, sed patiatur, totum enim ipso non tantum non coöperante, verum etiam reluctantem absolvitur sapius. Deus quoque nec quicquam ab ipso, præter rem extensam,

tenfam, diversum causa dici potest. Etenim, si Deus aut immediate per se ipsum, aut mediate per rem non extensam, ut eo, quo dictum est, modo afficeretur mens nostra, efficeret, nullâ ratione non esset censendus deceptor, quod omnimodæ ejus perfectioni repugnat (per suppositionem. 1.) Reliquum igitur est, ut sit à Re extensa, quæ proinde existit.

IV. Cum autem Extensio (per Thef. 1.) constituat essentiam Materiæ, eamque à reliquis rebus realiter differre faciat, erit quid reale & positivum, quia materia talis est: Ac proinde ubicunque est Extensio, ibi etiam ipsa reperitur materia. Et cum (per 3. Axi.) nibili nullæ sunt Affectiones, nequaquam dari poterit Extensio in nihilo, seu *spacium, in quo nulla plane sit Res*, hoc est, *Vacuum*, prout à Philosophis sumitur: Materiaque nullis ullibi interstitiis, hiatibusve erit interrupta, ejusque quælibet pars aliis, illam contingentibus, semper circumfundetur circumdabiturque.

V. Omnium porro in Materiâ observabilium primum, quod ipsi hoc modo considerata obvenire concipi potest, est, quod quædam illius partes circumjacentium contactum immutent, quædam retineant. Ex hoc enim solo reliqua omnis facile deduci potest Materiæ varietas, variatioque, quæ, cum tam clare ac distincte, quam ipsa percipiuntur Materia, illi quoque denegandæ sunt minime.

VI. Quoniam vero, quando Materiæ pars aliqua aliarum circumjacentium contactum immutat, illud præstare nequit, quin simul & hæ vicissim contactum saltem illius mutent: patet (per 1. pet.) causam esse debere, cur illa undiquaque; hæ vero, parte illi duntaxat obversâ, contactum mutent, reliquis retineant. Ac primo quidem manifestum est, has quoad partem contactum mutare ob mutationem illius: si enim non mutaret illa, nec etiam hæ mutarent, sed retinerent. Quod vero illa omni ex parte contactum circumjacentium immutat, non est ab his, retinent enim: nec quod hæ reliquis partibus contactum retineant, non est ab illâ, mutat enim undique: Quocirca in illâ mutationis quoad omnes partes, in his retentionis quoad cæteras specialis dabitur causa, cujus vi illius mutatio, harumque retentio producat.

VII. Hæc autem Contactus mutatio, & retentio, duo Materiæ modi, in rerum natura revera existentes, & à mente nostra nequaquam effecti, proprie & Philosophice Motus Quietisque nomine indigitandi, *Motusque contactus Mutatio in Materia, Quies vero ejusdem Retentio*, definiendi essent: Verum quia, quamvis ejus Philosophum nequaquam sollicitum esse oporteat, nimium à communi loquendi usu recederemus, &, quod præcipuum, Motus Quietisque proprietates explicatu faciliores reddentur, sub Motus Quietisque nominibus potius contactus mutationem retentionemque,

nemque, & simul vim seu virtutem, à qua producuntur, comprehendemus.

VIII. Nec necesse arbitramur, Causæ Motus Quietisque, in genere spectatorum, proximæ scilicet naturam, in se & absolute consideratam late explicare ac deducere: ad institutum nostrum sufficere existimantes, si solummodo hujus, quæ ab illâ materiæ indita est, virtutis, præter contactus mutationem, & retentionem, quæ ab eâ ortum ducunt, habeamus rationem.

IX. Cum igitur à Motu & Quiete (per Thef. 5.) omnis in Materia pendeat Varietas, eaque realis sit, erunt etiam aliquid reale: cumque (per Axiom. 4.) nihil intereat, aut de novo oriatur, sequitur eandem semper motus quietisque in materiâ extitisse, permansuramque in posterum quantitatem.

X. Si vero æqualis unicuique Materiæ parti Motus Quietisque inesset quantitas, sibi undiquaque necessario similis, eodemque affecta modo existeret. Verum cum in ea dissimilitudo, varietasque (ut Thef. 5. ostensum est) observetur, ejus partium una plus Motus aut Quietis, quam alia obtinebit.

XI. Cumque non tantum Varietas, sed etiam (per eandem Thef.) variatio in eadem locum habeat, patet nunc plus motus, & quietis in unâ esse parte, quam alio tempore, & consequenter, cum (per 9. Thef.) eadem motus quietisque semper in materiâ permaneat quantitas, partem motus aut quietis debere de parte materiæ in aliam transfundi; adeoque quicquid movetur aut quietem accipit, ab alio moveri, aut quietem accipere.

XII. Si igitur quædam Materiæ pars omnem suum motum in alteram quiescentem transfundat, ita ut hæc, quæ movebatur, quiescat, altera vero, quæ quiescebat, moveatur: quiescens omnem, quam recepit, quietem ab illâ, quam movit, recepit; & econtra mota omnem, quem recepit, motum, ab illâ, cui quietem suam impressit, recepit: Etenim, cum illa, quæ movetur, & antea quiescebat, quietem, & illa, quæ quiescit, & antea movebatur, motum amiserit, cumque motus quietisque semper eadem in Materiâ (per Thef. 9.) permaneat quantitas; necessario sequitur quietem omnem, quam antea quiescens & jam mota amisit, transfusam esse in partem, quæ movit; & omnem motum, quem antea mota, & jam quiescens amisit, receptum esse à parte, quæ quiescebat, si reliquæ materiæ partes in eodem statu permanere considerentur, ut jam facimus. Similisque omnino est ratio, si non omnis motus & quies, sed horum tantum partes aliquæ transfundantur. Atque hinc manifestum evadit, partem moventem

tantum alii, aut aliis, si plures moveat, quantum ipsa amittit, largiri motus, tantumque recipere quietis, quantum vicissim deperdit quiescens aut quiescentes.

XIII. Cum porro pars quædam Materiæ moveatur, quoniam (per Thef. 4.) non datur vacuum, pars sequens etiam movebitur, aut si quiescat, inter motam & quiescentem se recipiet alia Materia: cumque hæ partes iterum moveantur, has sequentes etiam movebuntur ob eandem rationem, quæ cum denuo moveantur, idem fiet, quod in antecedentibus, donec perventum erit ad primò motam: Unde patet, qualemcumque in omni motu fieri Circulationem.

XIV. Patetque præterea, cum in tali circulatione pars proxime sequens, aut quæ primo inter motam & quiescentem se recipit, motum (per Thef. 11.) acceperit ab alia, illaque iterum ab alia, & sic deinceps, donec in primo mota subsistimus; hanc necessario horum omnium motuum esse causam; nullo modo quiescentem, quæ derelicta fuit. Hincque sequitur nullum corpus quiescens ad se aliud movere posse, atque adeo nullam dari proprie dictam *Attractionem*; sed omnem motum fieri per *Pulsionem*. Quod idem etiam hoc modo facili demonstratur negotio. Si Materiæ pars quiescens ad se aliam moveret quiescentem, hæ quietem amitteret, motum reciperet, qui, cum ex alia parte (per Thef. 11.) in ipsam necessario transfunderetur, transfundi nequit (per Axiom. 2.) à quiescente, cum illo careat, ac proinde etiam ab hac non movetur.

XV. Deinde, quoniam (per Thef. 13.) in omni motu quodammodo fiat circulus, nulla pars moveri poterit, quin proxime præcedens moveatur, nec hæc, quin rursus ejus proxime præcedens, & sic deinceps; atque hinc, perspicuum est, nullum motum fieri in distans: atque adeo, nec quietis transfusionem, cum inter hæc semper fiat permutatio.

XVI. Cum autem pars Materiæ mota, aliam quiescentem movebit, majorem debèbit habere quantitatem motus quam illa habet quietis; Non enim poterit habere æqualem, multo minus minorem. Quoniam namque motus quietisque quantitas oriatur à vi & virtute, quæ pars mota contactum mutet, quiescens retineat, nullaque causa supra vires agat (per Axiom. 5.); manifestum est, si pars mota tantum habeat virium contactum mutandi, quantum quiescens habet eundem retinendi, hanc ab illâ non posse moveri: ac proinde illi, ut hanc moveat necessario debere plus inesse motus, quam huic inest quietis.

XVII. Præterea in circulo quando fit Motus, cum, cui primò imprimitur Motus, pars moveri nequeat, quin simul moveatur proxime antecedens,

cedens, nec hæc, quin illius iterum antecedens, & sic consequenter, donec totus absolvatur circulus, ut Thef. 15. demonstratum; primoque mota (per Thef. 14.) omnis in antecedentibus Motus causa existat: Et cum (per Thef. 16.) pars Materiæ mota movere quiescentem non valeat, nisi plus possideat motus, quam illa quietis; sequitur parti primò motæ plus debere inesse motus, quam reliquis omnibus quietis.

XVIII. Si igitur pars quædam mota plus habuerit in se motus, quam omnes, quæ circulum constituunt quietis, postquam illum absolverit, in sequentem impinget partem, sique illam movere possit, nova fiet ob eandem causam Circulatio, & post hanc continuo alia, donec omnem perdiderit motum; & quo plus hujus obtinuerit, eo quoque plures producet circulationes; & quo plures produxerit circulationes, eò plures etiam deseret contactus, quorum primus & ultimus *Termini Motus*, ille à quo, hic ad quem vocantur: & inter hos distantia, *Linea motus*; ut & Materia, in qua fiunt hæ circulationes, & linea motus concipitur, seu per quam fit motus, *Medium*.

XIX. Quoniam autem, ut proximè demonstratum, quò Materiæ pars plus habuerit motus, eò plurium aliarum deseret contactum, & patet, quo plurium deseruerit contactum, eo lineam motus longiorem futuram: sequitur etiam, quo plus habuerit motus pars quædam, eo majorem descripturam lineam: Cumque hæc continuata lineæ descriptio nihil aliud sit, quam motæ partis progressio, patet, quo plus habuerit motus, eo etiam plus habere virtutis ad progrediendum seu pergendum.

XX. Quod si pars Materiæ, dum moveri pergit, alteri, quæ tantum, aut etiam plus quietis, quam illa possidet motus, occurrat, in illam, ut Thef. 16. demonstratum, nihil transfundere sui poterit motus: ac propterea, cum (per Thef. 9.) Motus eadem in Materiâ permaneat semper quantitate, eum retinebit: cumque, ne ulterius pergat, impediat pars, in quam impegit, necessario eo versus, unde venit, redibit, qui reditus *Reflexio* vocatur.

XXI. Idemque accidet, si, non partem quiescentem, sed æqualiter aut magis motam in viâ offendant: Quoniam enim offendens aut æqualem aut minorem possideat Motum, quam offensa, minore etiam (per Thef. 19.) aut æquali prædita erit vi ad pergendum; ac propterea, cum (per 5. Postulatum) nulla causa supra vires agat, non poterit illam reflectere, sed reflectetur ipsa.

XXII. Cum igitur Pars Materiæ mota (per Thef. 15.) semper in aliam impingat, eaque si plures, aut æque multos quietis, aut motus contrarii gradus possideat, ipsam, ut Thef. 21. demonstratum reflectat,

sin minores non reflectat: palam fit, determinationem lineæ Motus à partibus Materiæ, in quas impingit mota, pendere. Si enim non reflectitur, rectam describet lineam, sin reflectatur, vel eandem rectam, vel duas rectas in puncto reflexionis concurrentes, adeoque angulum constituentibus.

XXIII. Quando autem pars non reflexa lineâ rectâ moveri pergit, non tantum, ut Thefi 12. demonstratum, partibus Medii, per quod movetur, quiescentibus motum infundit suum, sed in illam ab his vicissim transfunditur quies, quæ Transfusio *Resistentia Medii* appellatur, habetque non tantum locum in Medio, cujus partes plane quiescunt, sed etiam cujus partes vel eâdem vel contraria via moventur, minori quidem motu; eatenus enim de quiete participant.

XXIV. Atque talis in omni Medio reperitur resistentia, Mediumque quod eâ prorsus careat, dari nequit; non enim esset medium, quoniam in illo nulla poterit fieri contactus mutatio, ac proinde nec motus, quod (per Thef. 18.) ad ejus naturam requiritur. Posito enim medio, quod nullam habet resistentiam, debent ejus partes tantum, quantum pars quæ moveri supponitur, habere motus, & eandem versus partem, versus quam movetur illa, moveri. Hoc autem si fiat, pars, quæ moveri supponitur, contactum non mutabit; ac propterea in tali medio non fiet motus.

XXV. Ex his vero quæ in præcedentibus deduximus, omnis in Transfusione Motus, Quietisque varietas facillimo deduci demonstrarique potest negotio. Nam,

XXVI. Si per Medium æquali ubique præditum Resistentiâ moveatur pars Materiæ, cujus partes ita quiescunt, ut à partibus medii, in quas impingit nullo pacto moveri queant, hæc æqualiter motum deponet suum, servatâ inter illius gradus, mediique resistentiam proportionem: qui gradus quò fuerint plures eò resistentia erit minor, & linea motus major: quo vero pauciores, resistentia erit major, & linea motus minor.

XXVII. Si vero eadem pars, antequam omnem deposuerit motum, in via offenderit aliam, sibi quoad partium quietem plane similem, tantumque habentem quietis quantum ipsa habet motus, eo, quo offendit, tempore; necessario reflectetur nullo sui motus gradu amisso. Hocque magis obtinebit, si plus in quiescente fuerit quietis, quam in mota motus.

XXVIII. Et si ambæ hæ partes, tam mota, quam quiescens perfecte fuerint planæ, in iisque concurrant; mota ad eundem angulum incidentiæ ad quem impigit, reflectetur, nempe aut ad rectum aut ad acutum, nunquam ad obtusum. Atque idem locum habebit, si pars mota
perfecte

perfecte globosa fuerit, & quiescens exacte plana, aut globosa, aut etiam concava, dummodo circulus in concavo quiescentis major fuerit, quam circulus in convexo partis motæ.

XXIX. Quod si pars eadem mota plus habeat motus, quam quiescens quietis, moveri perget, quiescentemque propellet, ipsi tantum sui motus imprimendo, & tantum ab ipsâ recipiendo quietis, ut æqualiter eò versus, quo tendebat mota ambæ postea moveantur.

XXX. Quod si eadem pars mota offendat aliam sibi similem ut supra, non quiescentem, sed versus eandem partem, & in eadem cum illâ lineâ motam: illi necessario plus motus, quam huic inerit, & huic plus quietis, quam illi, alias enim numquam hanc assequi posset: transfundetque illa in hanc dimidium illius motus, quo hanc excedit in puncto occurfus, & recipiet ab hac dimidium quietis, quo superatur, & movebuntur postea æqualiter.

XXXI. Præterea, si duæ partes Materiæ, quarum partes ita quiescant, ut non tantum à partibus medii, sed etiam à se invicem, nullo pacto moveri queant, ex adverso, & in eadem motus lineâ sibi invicem occurrentes, habeant in puncto occufus æqualem motum, ambæ reflectentur, eò, unde veniebant, redeunt, nulla motus factâ transfusione.

XXXII. Si vero inæqualem habent motum, pars quæ majorem habet, illam, quæ minorem habet, repellet reflectetque, ipsi dimidium excessus sui motus infundendo, illiusque quietis excessus dimidium recipiendo: ac postea ambæ eò versus, quo tendebat magis mota, cum æquali motus quantitate moveri pergent.

XXXIII. Nec tantum duæ Materiæ partes quatenus motæ in se invicem impingunt, sed etiam quatenus per idem vel diversum medium feruntur, considerari possunt; earum motus comparando motui aliûs corporis (puta cæli, aut aliorum corporum motum cæli imitantium) seu, quod clarius, tempori.

XXXIV. Sic si per idem, aut duo diversa Media, æqualis tamen ubique prædita resistentiâ, duæ materiæ partes, sibi mutuo non obviantes, cum tali inter motus quantitatem, magnitudinem, constitutionem, & Medii resistentiam proportionem moveantur, ut eodem, aut æquali tempore æquales describant motus lineas; dicentur hæ partes æque celeriter, aut æque tardè moveri. Si vero non cum tali moveantur proportionem, sed ita, ut eodem aut æquali tempore inæquales orientur motus lineæ, dicitur pars, quæ majorem describit lineam celerius, pars, vero, quæ minorem, tardius moveri. Respectusque seu Relatio motus illius ad motum hujus, *Celeritas*; & e contra, respectus motus hujus ad motum illius *Tarditas* vocabitur.

XXXV. Atque

XXXV. Atque horum omnium subjungerem demonstrationes, nisi cuilibet accurtate tantum præcedentia consideranti, atque ad hæc diligenter attendenti manifestas fore judicarem, hæcque nostra in nimiam molem excreceret Disputatio.

XXXVI. Hæc porro tria, Materiam, Motum, & Quietem, de quibus hucusque nobis sermo fuit, vera rerum Naturalium censemus esse principia: *Non enim sunt ex se invicem, nec ex aliis, & ex ipsis omnia: Suntque tria, contraria duo, motus & quies, eorumque subjectum commune Materia: quas in Principiis conditiones requirunt Philosophi.*

XXXVII. Estque præterea quodlibet reale quid, nempe Materia substantia, ac Motus & Quies, ejus duo modi, qui posterior, ut ex antedictis perspicuum, æque ac prior, in explicatione rerum naturalium venit considerandus. Unde mirari satis non subit, cum tam diffusa proluxaque apud Physicos de Motus natura speciebusque reperiatur tractatio, apud eisdem tam altum de Quietate esse silentium; ut & apud ipsum Aristotelem, cum tamen in Naturæ definitione, motum quietemque pari passu ambulare voluit.

XXXVIII. Hujusque de Quietate quietis nullam mihi imaginari queo rationem, quam quod illam nihil aliud, quam Motus negationem aut absentiam esse arbitrati fuerint: Quæ sententia, si contrarium jam abunde non demonstratum esset, etiam hoc facillime refutari posset argumento. Si Quies nihil esset aliud, quam Motus absentia aut negatio, minimo motus gradu corpus quiescens moveri posset, cum negationi nulla inest resistendi vis. Verum quotidiana satis superque testatur experientia, quamplurima corpora quiescentia aliorum motibus majorem, minorem præbere resistantiam, alterumque facilius, difficilius alterum motum suscipere impingentis; Quapropter necessario reale quid, quod hujus sit causa resistantiæ, nobisque nomine venit Quietis, admittendum.

XXXIX. Dispescitur vero Motus à Peripateticis, præeunte ipsorum duce, in Motum ad Quantitatem, qui iterum est vel diminutio vel accretio, ad qualitatem, qui Alteratio, & ad ubi, qui Motus localis seu latio appellatur. Verum cum Motus localis, non differat ab eo, quem supra definivimus, & sine eo, nec diminutio accretiove, nec alteratio fiat ulla; Motum localem pro genere, diminutionem vero accretionemque ac alterationem inter species putamus esse referendas.

XL. Nec tantum Materiam, Motum & Quietem Rerum Naturalium autumamus esse principia; sed præterea nullas præter motum & quietem materiæ, aut quæ ex iis non oriuntur corporis naturalis reales agnoscimus affectiones. Cum enim uti dictum, Rerum naturalium Principia
sint

sint tantum Materia motus & quies, Corpus naturale nihil aliud erit, quam Materiæ pars motu quieteque inter se contemperatis prædita: Cumque (per axioma secundum) nihil sit in effectu, quod non fuit in causa, nulla erit affectio in corpore naturali, cujus origo his accepta non est referenda.

X L I. Quod idem etiam ex omnium à Philosophis corpori naturali adscribi solitarum affectionum definitionibus colligere est. Nam Continuitas est partium corporis quies per se, Divisio vero earundem motus: Raritas est partium corporis quies aut motus talis, ut inter illas magni relinquuntur hiatus, quos alia interluit materia; qui si nulli aut exigui sint, Densitas est: Finitudo est negatio ulterioris in corpore motus quietisque contemperationis, Figura vero hujus negationis qualitas seu modus: Locus est terminus corporis ambientis, ad circumjacentia relat-
tus corpora, & tanquam immobilis spectatus: & denique Tempus est duratio corporis motui cælorum comparata, per eumque mensurata.

X L I I. Cum igitur omnes hæ affectiones, aut ad Quietem, ut Continuitas, aut ad motum, ut Divisio, aut ad utrumque ut Raritas & Densitas pertineant: vel sint negationes, ut Finitudo & Figura, vel Entia rationis, ut Locus & Tempus: patet nullas corporis naturalis, quæ ortum non ducunt à motu & quiete, & præter hos Materiæ affectiones esse reales, hæcque tria tantum pro naturalium Rerum principiis esse habenda.

P A R A D O X A.

1. Logica, quæ à Peripateticis passim circumfertur vana, atque inutilis, cum sine illa Mathematici plus in scientiis effecerint & profecerint, quam cum illâ in reliquis Philosophiæ partibus isti.

2. Duo tantum dantur Prædicamenta, Res & Modus.

3. Homo est Animal rationale, non est perfecta Definitio.

4. Physica & Ethica per demonstrationes tradi possunt, & debent.

5. Nulla datur forma substantialis.

6. Etiam si nullus existeret sol, illuminaretur tamen hic mundus sublunaris.

7. Anima Physice nec est in corpore, nec extra corpus.

8. Sensatio non fit per nervorum filamenta, sed per spiritus.

9. Primum Ethices principium est, cuique suum utile esse querendum.

10. Virtus est constans animi voluntas ex vero intellectu suum utile querendi.
Vitium vero ex opinione.

11. Metaphysica non versatur nisi circa entia Rationis.

12. Quadratura Circuli est impossibilis.

F I N I S.

the first part of the book is a list of the names of the authors of the works which are included in the collection. The names are arranged in alphabetical order, and each name is followed by a brief description of the work. The list is followed by a list of the titles of the works, also in alphabetical order. The titles are followed by a list of the authors of the works, also in alphabetical order. The list of authors is followed by a list of the titles of the works, also in alphabetical order. The titles are followed by a list of the authors of the works, also in alphabetical order.

the second part of the book is a list of the names of the authors of the works which are included in the collection. The names are arranged in alphabetical order, and each name is followed by a brief description of the work. The list is followed by a list of the titles of the works, also in alphabetical order. The titles are followed by a list of the authors of the works, also in alphabetical order. The list of authors is followed by a list of the titles of the works, also in alphabetical order. The titles are followed by a list of the authors of the works, also in alphabetical order.

P A R A D O X A

the third part of the book is a list of the names of the authors of the works which are included in the collection. The names are arranged in alphabetical order, and each name is followed by a brief description of the work. The list is followed by a list of the titles of the works, also in alphabetical order. The titles are followed by a list of the authors of the works, also in alphabetical order. The list of authors is followed by a list of the titles of the works, also in alphabetical order. The titles are followed by a list of the authors of the works, also in alphabetical order.

the fourth part of the book is a list of the names of the authors of the works which are included in the collection. The names are arranged in alphabetical order, and each name is followed by a brief description of the work. The list is followed by a list of the titles of the works, also in alphabetical order. The titles are followed by a list of the authors of the works, also in alphabetical order. The list of authors is followed by a list of the titles of the works, also in alphabetical order. The titles are followed by a list of the authors of the works, also in alphabetical order.



